

dere, deque auctore ejus, in Diatriba de
Causis gravium diximus.

Nunc vero ulterius quærere pergamus,
quibus gradibus ad penitiora quædam, de
statu ornatuque Terrarum istarum, cogno-
scenda perveniri possit. Ac primùm quam
verisimile sit herbas, & animalia in earum
superficie existere, æque ac in Tellure no-
stra. Nemo negabit puto, & formam & vi-
tam, & crescendi generandique rationem, in
stirpibus animantibusque majus quid esse,
magisque mirandum quàm corpora vitâ ca-
rentia, quantumvis mole conspicua sint;
velut montes, rupes, maria. Patet etiam in
utroque illo viventium genere, multo aliter
longeque expressius, cerni Divinæ providen-
tiæ intelligentiæque præstantiam. Cum e-
nim quæ in Terra, imo quæ in Cælo quoque
aspicimus, aliquis Democriti, aut etiam Car-
tesii sectator, ita se explanaturum profiteri
possit, ut tantum atomis & motu horum indi-
geat; in herbis tamen & animalibus frustra e-
rit, nec de primo eorum exortu quidquam ve-
risimile adferet; cum nimis manifesto appa-
reat, nunquam vago, ac fortuito corpuscu-
lorum motu, talia quædam prodire potuisse:
quippe in quibus omnia ad certum finem e-
gregie apta accommodataque cernantur;
cum summa prudentia, & legum naturæ, i-
psiusque Geometriæ, cognitione exquisita;
quemadmodum in sequentibus sæpius osten-
detur; ut jam omittamus illa in progignendo
mira-

Nec de-
esse illis
animalia

mira-